

## Engelbert of Cologne OFM

Elizabeth<sup>1</sup>

*Gracia super gratiam mulier sancta et pudorata* etc., Ecc. 26. (19), cum duplex sit gracia, scilicet gratis data et gratum faciens. Gracia autem gratis data potest competere omni dono Dei et naturali. Cum enim talia dona naturalia excellencia sicut nobilitas, pulcritudo corporis et complacencia graciosa plerumque abducunt a fine ultimo, secundum illud Prov. 31. (30): *fallax gracia et vana est pulcritudo* etc., idcirco beata Elizabeth in verbo proposito a gracia gratum faciente commendatur, que ordinat in vitam eternam, cum dicitur: *gracia super gratiam*. Commendatur et extollitur a tribus, scilicet

<1> a favore complacencie singularis, quia erat graciosa: *gracia*, inquit, *super gratiam*; Prov. 2. (11, 16): *mulier graciosa inveniet gloriam*, quia talem maxime acceptat Deus in ordine ad vitam eternam.

<2> Secundo commendatur a nitore refulgencie virtualis, quia *mulier sancta*; Ecc. 26. (24): *mandata Dei in corde mulieris sancte*.

<3> Tercio extollitur a pudore condecencie puellaris, quia *pudorata*; unde Ecc. 7. (21): *noli discedere a muliere sensata*, unde sequitur: *gracia enim verecundie eius super aurum*.

<1> Commendatur igitur a favore complacencie singularis ibi: *gracia*, inquit, *super gratiam*; circa quod pono quatuor conclusiones.

<1.1> Prima est, quod gracia gratum faciens in ordine ad acceptacionem divinam est quedam integritas et quidam decor omnium virtutum. Sicut enim pulcritudo faciei non est aliqua una qualitas, sed integritas exurgens ex omnibus, scilicet colore, figura, magnitudine, proporcione, ita gracia, que est anime decor, est integritas exurgens ex fide, spe et karitate et virtutibus ceteris. Gracia ergo, ut est quedam graciositas, qua aliquis acceptatur, exurgit ex omnibus virtutibus. Probatur istud, quia nullus est Deo acceptus et graciosus nisi sit promptus ad singula bonorum operum virtuosorum. Talem autem promptitudinem non habet homo, nisi per omnes virtutes quibus exitur in actus virtuosos, sicut etiam in anima non est principium operum naturalium, nisi per organa in corpore determinata. Igitur gracia gratum faciens

---

<sup>1</sup> Base ms.: E = Einsiedeln OSB, StB, 755, ff. 177v-179v. Collated mss.: B1 = Basel, UB, A. X. 56, ff. 81r-84v; B2 = Basel, UB, B. IX. 31, ff. 18r-19v; T = Trento, Biblioteca Comunale, 1792 (olim F-78b), pp. 229-233.

ceteras virtutes {178r} includit, ut est quedam integritas exurgens ex ipsis. Ex quo concluditur, quod quia beata Elizabeth habuit istam integritatem omnium virtutum, ideo fuit Deo gratissima et acceptissima. Quod autem habuit illam integritatem, que potest dici graciousitas quedam, potest ostendi ex eius legenda in singulis virtutibus.

<1.1.1> Primo de eius humilitate, que est fundamentum istius integritatis, quomodo servivit infirmis abiectis et vilibus personis in hospitali, quia *superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam*, 1. Pe. 5. (5).

<1.1.2> Secundo patet de eius misericordia et pietate, que crevit secum ab infancia, quomodo pauperibus subveniebat ita, quod semel ex ammiranda Dei virtute elemosina fuit conversa in rosas patre eius inquirente, quid portaret.<sup>2</sup> Ideo legitur de ea: *manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperes*, Prov. ult. (31, 20).

<1.1.3> Tercio hoc patet de eius paciencia et constancie firmitate, quando post mortem mariti sui per quosdam vasallos suos eiecta fuit de castro et in domo tabernarii, ubi porci collocari consueverant, recepta;<sup>3</sup> scivit enim, quod per multas tribulationes oportet intrare in regnum celorum.

<1.1.4> Quarto patet de oracionis et devocionis continuitate, sicut quando oravit pro iuvene, et ille totus accensus fuit.<sup>4</sup>

<1.1.5> Quinto patet de eius indigencia et paupertate, quia vili habitu induta panno alterius coloris prolongato, vidit eam comes a patre missus, ut reduceret eam, filantem pro pauperibus.<sup>5</sup>

<1.1.6> Sexto ex hiis patet quomodo exerci[t]issima fuit ea in caritate erga Deum et proximum, que in singulis virtutibus sic extitit graciosa. De hiis omnibus vide plenius in legenda. Unde dicere potuit illud Ecc. 24. (25): *in me omnis gracia vie et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis*.

<1.2> Secunda conclusio est, quod gracia gratum faciens, si stricte sumatur, prout est species virtutis distincta contra alias virtutes, sic idem est quod caritas. Probacio: illa sunt idem, que habent easdem proprietates et passiones; caritas et gracia sunt huiusmodi, igitur etc. Probacio minoris: nam omnes proprietates, que attribuuntur graciae, Augustinus attribuit caritati; 15. De Trinitate capitulo 17. dicit, quod nullum est dono isto excellencius, solum enim est quod

---

<sup>2</sup> Cf. GECSER, *The Feast and the Pulpit* cit., index, s.v. "Vitae of St. Elizabeth, episodes from"; idem, *Miracles of the Leper and the Roses. Charity, Chastity and Female Independence in St. Elizabeth of Hungary*, in *Franciscana*, 15 (2013): forthcoming.

<sup>3</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., p. 33, ll. 940-953.

<sup>4</sup> *Ibid.*, pp. 53-55, ll. 1414-1479.

<sup>5</sup> *Ibid.*, pp. 65-67, ll. 1813-1838.

dividit inter filios regni et perdicionis; dantur per Spiritum alia munera, sed sine caritate nihil prosunt.<sup>6</sup> Ex quo accipitur documentum, quod de lege communi nemo scit, utrum odio vel amore dignus sit, vel cuius filius sit, vel regni vel perdicionis. Ex quo nulli constat de sua karitate, que tantum occulta Dei inspiracione datur. Sed queritur, utrum de lege spirituali aliquid constaret beate Elizabeth? Potest dici, quod sic, quia credibile {178v} est, quod in illa visione, quam vidit iuxta altare, sibi Dominus revelavit; de qua eciam dixit, quod talia ibi perceperit, que dum viveret numquam homini revelaret.<sup>7</sup>

<1.3> Tercia conclusio est, quod caritas et gracia quamvis sint una res, tamen differunt racione, propter aliqua diversa connotata. Karitas enim suo modo importat [id], quo diligimus Deum, [sed gracia id, quo Deus nos amat et acceptat]. Et licet eodem merito nos diligamus Deum meritorie, et Deus nos acceptat in premium, tamen ex diversa tali connotacione habetur istud diversum nomen differens sola racione. Ex quo accipitur documentum, quod gracia quasi dat actum primum ipsi anime esse, scilicet spirituale, Deo acceptum, et caritas dat actum secundum. Inquam in primo est principium meritorie operacionis, ita quod ex ultimo, scilicet ex meritoria operacione, indicatur caritas inesse et, per consequens, gracia gratum faciens, quod potest applicari beate Elizabeth: ex quo superfuit in meritoria operacione, ideo excellentis fuit caritatis et graciae.

<1.4> Quarta conclusio: ex quo caritas et gracia sunt unum et idem, et caritatis est unire Deo, ideo eciam hoc pertinet ad graciae gratum facientem; unde Dionysius: amorem sive naturalem, sive animale, sive humanum, sive divinum unitivam quandam intelligimus virtutem;<sup>8</sup> unde apostolus I. Cor. (6, 17): *qui adheret Deo*, scilicet per graciae et caritatem, *unus spiritus est*, scilicet per voluntatis conformitatem. Quam autem beata Elizabeth fuerit unita Deo per voluntatis conformitatem patet ex eius legenda, quando reducta fuerunt ossa mariti, et ipsa dixit, quod vellet cum eo perpetuo mendicari propter eius dileccionem, tamen nollet eum redimere uno crine, si Deo non placeret.<sup>9</sup> Sic igitur omnibus modis ipsa *invenit graciae in oculis Domini*, Ecc. 44. (27).<sup>10</sup>

<2> Sequitur secundum principale, ubi extollitur a nitore refulgencie virtualis, quia *mulier sancta*. Circa quod pono quatuor conclusiones.

---

<sup>6</sup> AUGUSTINE, *De Trinitate*, XV, 18, ed. W. J. MOUNTAIN – F. GLORIE (CCSL, 50-50A).

<sup>7</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., pp. 35-37, ll. 1016-1079.

<sup>8</sup> *De divinis nominibus*, in PH. CHEVALIER et al., eds., *Dionysiaca*, 2 vols., Paris – Bruges, 1937-1951, vol. 1, p. 225.

<sup>9</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., pp. 39-40, ll. 1153-1158.

<sup>10</sup> Vulg.: “invenientes gratiam in oculis omnis carnis”.

<2.1> Prima est quod sanctitas nihil aliud est, quam omnis peccati avertentis ab ultimo fine immunitas, et ideo competit homini pro isto statu. Quamvis enim homo de communi lege pro isto statu non possit esse sine peccato veniali, potest tamen esse sine peccato mortali, quia secundum Augustinum, peccatum est adeo voluntarium, quod nisi sit voluntarium, non est peccatum.<sup>11</sup> Si igitur peccatum mortale nullo modo posset vitari, non utique esset voluntarium.

<2.2> Secunda conclusio, quod qui amittit sanctitatem per peccatum, non potest magno tempore vitare peccatum, quia quamvis sine gracia liberum arbitrium per modicam horulam possit vitare peccatum, non tamen magno tempore; cum quia Gregorius dicit, quod peccatum, quod per penitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit,<sup>12</sup> tum propter rationem Augustini, De baptismo parvulorum, qui dicit, quod contra fortem motum habitus, qui {179r} est in fornice nos titillante, requiritur duplex agens, scilicet intrinsecus liberum arbitrium, extrinsecus, scilicet divina gracia. Unde apostolus ait (Rom. 7, 15): *non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio*; et (Rom. 7, 23) *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee*. Ex quo accipitur documentum, quod a sanctis leve eciam occasiones ad peccandum vitande sunt, quia amissa sanctitate non est certus homo de gracia [adiuvante] ad non peccandum ultra.

<2.3> Tercia conclusio, quod accipiendo peccatum pro malo velle respectu alicuius determinate materie, non video, quin liberum arbitrium sine gracia gratum faciente, presupposito generali Dei influxu, possit vitare peccatum mortale, quia si sibi esset impossibile, nullo modo esset imputabile, sola enim voluntaria imputabilia sunt. Propterea peccator stans in uno peccato nec volens resilire, necessario caderet in omne illud a quo temptaretur, quod est grave dicere et contrarium experimur, quia aliquis luxuriosus nullo modo faceret homicidium vel furtum. Ex quo accipitur documentum, quod non est necessarium, ut existens in peccato semper cadat in aliud peccatum sine gracia gratum faciente, sed bene difficile est longo tempore permanere propter pondus peccati et fornicis inclinacionem. Et ita intelligendus est Gregorius et Augustinus in secunda conclusione, et probatur, quia si liberum arbitrium modico tempore potest resistere peccato, potest magno tempore, quia voluntas potest se manu tenere in illa volicione; quia libere elicit eam, ideo potest resistere.

<2.4> Quarta conclusio: quamvis beata Elizabeth permanserit in sanctitate et non habuerit pondus peccati inclinans ad peccandum, tamen potuit habere inclinacionem fornicis, et ideo

---

<sup>11</sup> AUGUSTINE, *De vera religione*, 14, ed. K.-D. DAUR (CCSL, 32).

<sup>12</sup> GREGORY THE GREAT, *Moralia in Iob*, XXV, 9, ed. M. ADRIAEN (CCSL, 143B).

maxime fecit violenciam nature inclinacioni tali resistendo et graciam non amittendo. Et eo magis quo illi inclinacioni cooperabantur dona exteriora, scilicet nobilitas, potencia magna, diviciarum habundancia, magna familia, sicut decebat filia regis. Et ideo omnem istam gloriam vertit ad interiora suo dilecto placendo, quia *omnis gloria filie regis ab intus* (Ps. 44, 14), et ideo potest de ea dici illud Ruth (3, 11): *omnis populus, qui habitat intra portas urbis scit te mulierem esse virtutis*, et hoc patet in exitu vite sue, quando angeli in similitudine avium laudabiles exequias cantu suo iocundissimo exhibuerunt.<sup>13</sup>

<3> Sequitur tertium principale, ubi commendatur a rubore condecencie puellaris, ibi: *et pudorata*. Ubi pono tres conclusiones.

<3.1> Prima quod virtutem accipiendo communiter prout omne illud, quod in humanis actibus vel passionibus est laudabile,<sup>14</sup> sic verecundia est virtus, quia maxime apud virtuosos verecundia maxime amatur et laudatur. Verecundia enim est timor ingloriacionis,<sup>15</sup> quam aliquis timet incurrere propter aliquid turpe. Qui autem talia turpia timent, et nolunt ingloriacionem sustinere, amatores sunt virtutum, et ideo ipsi eciam redduntur aliis amabiles et laudabiles.

<3.2> Secunda conclusio, quod a virtuosis et maxime {179v} a mulieribus non solum vitanda sunt mala, verum eciam que speciem habent mali. Unde 1. Thessa. (5, 22): *ab omni specie mala abstinete vos*, et Philosophus 4. Ethicorum: vitanda sunt viciosa tam que sunt mala secundum veritatem, quam que sunt mala secundum opinionem; et idem Philosophus 2. Rethoricarum: homines non solum erubescunt vicia, sed eciam signa viciorum.<sup>16</sup> Ex quo concluditur, quod nullo modo est virtus verecundie et pudoris in mulieribus et virginibus, que exponunt se communibus spectaculis turpibus et ludis, immo minus in eis, que exercent talia vel choreas et huiusmodi, que ad lasciviam provocant. Et ideo beata Elizabeth, adhuc iuvenula, tales ludos interdixit, et ad oraciones ceteras coevas induxit.<sup>17</sup>

<3.3> Tercia conclusio, quod ista virtus pudoris maxime claruit in beata Elizabeth pro omni statu, virginali, scilicet, coniugali et viduali, et maxime in statu coniugali, quod magis laudabile puto. Et hoc apparet ex convictu eius cum marito, pro quo et magis timuit ingloriacionem sustinere, quam pro se, sicut patet de illo nobili adveniente et eam videre

---

<sup>13</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., pp. 79-80, ll. 2199-2209.

<sup>14</sup> THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, II<sup>a</sup>-IIae, q. 144, a. 1, co.

<sup>15</sup> *Ibid.*, II<sup>a</sup>-IIae, q. 144, a. 2, arg. 1.

<sup>16</sup> *Ibid.*, II<sup>a</sup>-IIae, q. 144, a. 4, ad 2; arg. 2.

<sup>17</sup> HUYSKENS, *Libellus* cit., p. 13, ll. 300-308.

cupiente, quomodo timuit inhonoracionem mariti ex despecto habitu, et tunc quidem celitus induta fuit et coronata,<sup>18</sup> ita quod de ea posset exponi illud Apo. 12. (1): *mulier amicta sole*.

---

<sup>18</sup> Cf. GECSER, *The Feast and the Pulpit* cit., index, s.v. “Vitae of St. Elizabeth, episodes from”.